



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita
festinanter recitat cum Socio, ut antequam Socius ultima verba sui
versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LII.

De recitatione Breviarii cum socio &c.

Basilii Clericus pensum Canonicum sæpius perfolvit cum socio festinanter recitante suam partem, quam ipse incipit, antequam Basilii ultima verba sui versiculi profert: Unde non nunquam aliqua repetit, ut securius procedat, vel quia subinde dubitat, an non aliqua omiserit. Cum verò ipse solus Horas recitat, ita submissè quandoque verba profert, ut sæpè se ipsum non audiat.

QUÆR. I. An satisfaciat suæ obligationi recitandi Breviarium, qui illud ita festinanter recitat cum socio, ut antequam socius ultima verba sui versiculi profert, ipse suam partem jam incipiat?

QUÆR. II. An qui dubitat, utrum aliquam Horam recitaverit, vel aliquid omiserit, teneatur repetere id, de quo dubitat?

QUÆR. III. An in recitatione Breviarii debeant verba ita necessariò proferri, ut recitans se ipsum audiat?

300 **A**D I. Q. Videtur affirmativè respondendum. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto Officii Divini recitandi requiritur, & sufficit, ut partem versiculorum tibi competentem proferas, & eam partem audias, quæ à socio profertur: sed utrumque fieri potest in posito casu, cum & tua verba ipse proferas, & audias ea, quæ à Socio proferuntur: ergo satisfacis. Sed

Dicendum est cum Bonacina *D. 1. q. 3. part. 2. §. 1. Tolet. l. 2. c. 13. Less. c. 37. dub. 10. Palao D. 2. p. 3. n. 9. Azor tom. 1. l. 10. c. 4. q. 11. Fill. & aliis*, eos, qui ita festinanter Breviarium recitant, ut nondum expletis versiculis à socio proferendis, sequentes versiculos recitare incipiant, non satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socio,

cio, qui eam audire nequit tempore debito, seu eò, quò illam ipſus recitare poſſet, ſiquidem auditus loco prolationis ſuccedit: & aliàs ſequeretur, quòd ſi ſocius verſiculum ſuum proferret, quando tu proferes tuum tibi competentem, ſatisfaceres tuæ obligationi ita recitando; quod utique dici nequit; tum quia ſimultanea talis recitatio eſt contra conſuetum Eccleſiæ uſum, & aliàs dimidio temporis ſpatio integrum Officii penſum perſolvi poſſet, cum ſit par ratio partis & totius: Tum quia ſocii recitatio ſuccedit loco illius, quam tu recitare debebas: ſed tu non poteras utrumque verſiculum ſimul recitare: ergo neque eodem tempore, quo alter recitat, poteris ſatisfacere. Unde

Ad rationem in contrarium R. ad ſatisfaciendum præcepto requiri, ut ſocii recitationem audias tunc, quando eam ponere poſſes, quia alter etiam nomine tui recitat, & auditus loco prolationis ſuccedit, ſed quia tu non poteras tunc illam recitare, cum audis, eò quòd utrumque ſimul recitare non poſſis, ideo minimè ſatisfacis.

301 Ad 2. Q. R. Sic dubitantem teneri ea repetere, de quibus dubitat, niſi dubium probabili aliqua ratione practicè deponatur. Ratio eſt; tum quia præceptum obligans ad recitandum eſt, & manet in ſua poſſeſſione: Tum quia recitatio eſt aliquid facti; factum au-

tem non præſumitur, ut docet communis Jurisperitorum.

Quòd ſi tamen dubitans probabilem aliquam conjecturam habeat, quòd recitaverit, v. g. quia ſcit, ſe incepſiſſe Horam, & nunc reperit ſe in fine ultimi pſalmi, vel quia ſcit ſe communiter non ſolere aliquid omittere, vel quia meminit poſtერიorem Horam, quam ſcit ſe recitaſſe, non ſolere aliàs recitare, niſi priùs recitata priore, vel quia reperit mutatum ſignum, quod, poſt perſolutam quamlibet Horam mutare ſolet, & apponere Horæ ſubſequenti recitandæ &c. Si inquam, ejuſmodi probabilem conjecturam habeat, non tenetur quidquam repetere, ut docent Bonæ. *D. 1. q. 4. p. 2. n. 11.* Tambur. *in Decal. l. 2. c. 5. §. 3.* Pelliz. *t. 1. tr. 5. c. 8.* Laym. *l. 4. tr. 1. c. 5.* Gobat. *in exp. t. 5. n. 621.* Navar. Suarez. Sanch. Azor. aliique apud Lacroix. Et ratio eſt, quia tunc poſſeſſio eſt pro ipſo recitante, qui cum certus ſit, quòd aliàs ſoleat recitare Horas Canonicas, ſciatque ſe Breviarium hodie recitaſſe, incertus autem ſit, an Horam, vel partem illius omiſerit, prudenter poſt præſumere, & ſupponere, ſe etiam nunc nihil omiſiſſe, cum etiam aliàs ſolitus ſit, nihil de Officio intermittere, aut tranſilire, nec præſumatur omiſſio illius, quòd in ordinario curſu recitari ſolet. Quin imò expedit, ſaltem ſcrupuloſis, in tali cauſa nihil repetere, ut notant Sanch.